# TENTAMEN MEDICUM

*INAUGURALE,*

DE

# ENTERITIDE.

TENTAMEN MEDICUM,

DE

# ENTERITIDE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

*RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS MURRAY,

*EX INSULA TRINIDAD.*

Hic enim breve spatium est, intra quod, si quid auxilium non profuit, aeger extinguitur.

CELSUS, *Lib. III. Cap.* 1.

*Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

OPTIMO

PATRI MEO,

HENRICO MURRAY,

*ARMIGERO,*

HOC OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS

DEDICATUM VOLO,

T. M.

# TENTAMEN MEDICUM

DE

# ENTERITIDE.

AUCTORE THOMA MURRAY.

## *PROŒMIUM.*

Enteritis ob multa jure sibi vindicat medicorum attentionem; morbus enim est, qui saepe incidit, qui nunquam periculo caret, quique aliquando aegrum extinguit tanta celeritate, quantam vix quisquam alius aequare videtur. Praeterea quorundam multo mitiorum morborum speciem praebere potest; ita ut, medicus minus peritus, periculi immetuens, malum eò usque procedere sinat, ut medicinae vires nihili facere possint. Et quoties hoc malè fit, eò major culpa medici est, quia Enteritis inter eos morbos recensetur, in quorum

curatione, medicinae utilitas usque adeò conspicua est, ut eorum dubitationes, qui medendi artis profectu apud homines diffidunt, omnino submoveat. Cum igitur animum intendimus ad hujus morbi frequentiam, ad difficultatem eum a reliquis internoscendi, atque ad necessitatem et utilitatem maturae curationis, fatendum erit, Enteritidem inter morbos maximi momenti esse, qui in longo hominum malorum catalogo inveniuntur.

His inductus, mecum constitui hanc rem seligere pro tentamine meo inaugurali; quod, ut in hac academia institutum, sicut opinor, magis ad scriptoris quam lectoris, scientiam augendam spectat. In hoc morbo tractando, morem solitum sequar; et sub capitibus vulgo adhibitis haec disponam, quae mihi attentione maximè digna videntur. Paucis de hujus morbi historia propositis sub quâ indicia complector, quaedam dicam, de indiciorum ratione, de diagnosi, de prognosi, de mortuorum sectione, deque curatione; eo ordine, quem jam posui.

## *DE HUJUS MORBI HISTORIA.*

INFLAMMATIO, ubi intestina occupat, sedem habet; aut in tunica peritoneali aut mucosâ. Prioris inflammationem CULLEN Enteritidem Phlegmonoideam; posterioris, Erythematicam, nominavit. Hae hujus mali species maximè inter se differunt; tum notis quas praebent; tum periculo quod utramque comitatur. Prius malum multo majoris momenti, quia periculosius naturâ est, et celeriter pergit. De eo, igitur, in hoc tentamine dicturus sum. Species hujus morbi Erythematica, a Phlegmonoidea internosci potest; imprimis, quia in illo abdomen non adeò tenerum est aut non levissimum sentit tactum, et quia totus morbus minus est acutus. In plerisque oritur exemplis ab acribus in ventriculum sumptis, praesertim a quotidiano liquorum ex alcohole confectorum usu. Curatio hujus morbi speciei minimè tam valida postulat remedia, quam species Phlegmonoidea. Missione sanguinis non semper opus est, et prae-

stantissima sanandi via in eo ponitur, ut canalis alimentarii actio ritè peragatur.

Species Phlegmonoidea hujus mali saepissime in aestate et autumno incidit, quippe his anni temporibus corpus magis obnoxium est iis causis, quae morbum excitant. Omnem sexum et aetatem, pariter, ut videtur, occupat; sed, ut res se habet in aliis inflammationibus, prae aliis alii causis hunc morbum excitantibus obnoxii sunt.

Indicia quae inflammationem intestinorum testantur talia sunt; Pyrexia; pulsus frequentes, duri et exiles sunt; sed non ultra centum horae minuto plerumque numerantur. Corporis calor aliquantum augetur; dolor et tensio abdominis acutissima; dolor perpetuus est, neque se remittit, sed per intervalla saevior fieri potest; dolor praecipuè circa umbilicum torquet sed aliàs aliis partibus, prout sit inflammationis sedes. Premente manu multum augetur, quod fere pro certo hujus inflammationis indicio est: dyspnoea magna et singultus; nausea et vomi-

tus maximè urgent, quoties inflammatio intestina tenuiora afficit et quo propior inflammatio ventriculo, eò importunior est vomitus ; alvus pertinaciter astricta est; sitis urgens, et urina rubra et parca. Corporis vires multum et subito imminuuntur ; et vultus miram anxietatis speciem praebet ; aliquando delirium etiam accedit.

Solitae Enteritidis terminationes inflammationibus universis communes sunt ; scilicet ; suppuratio, gangraena, et terminatio felix sive resolutio.

Hic morbus exitialis intra paucas horas quandoque evasit, postquam incepit ; hinc patet, quam sit utile pro certo, eum urgere, quam citissimè cognoscere. Nulla inflammatio ad gangraenam proclivior est ; proclivitatem ad hanc docet omnium signorum vehementia, qualis, cunctis ea sublevandi modis, resistat ; dolores omnino quiescentes ; pulsus infirmissimus se remittens et vix enumerandus ; corpus sudoribus frigidis madidum ; dejectiones maxime foetidae et ingratae, aliquando inscio homi-

ne redditae; spiritus haud minus foetidus; singultus importunissimus et animi deliquium. His signis urgentibus judicamus gangraenam adesse, quae in exitium hominis citò desitura est. Haec terminatio tamen (dixisse juvat) saepius evitabitur si, morbo, inter prima initia detecto, remedia idonea aegri et morbi conditioni adhibita fuerint.

Alia et magis secunda hujus morbi terminatio, suppuratio est, quae priore vulgatior incidit: Hujus accessio suspicanda est, quoties indicia per aliquot dies mitiora sunt, nec tamen remediis idoneis adhibitis cedunt; quoties ponderis sensus dolorque obtusus circa partem affectam est; et frigus et horrores per corpus sentiuntur. Haec signa urgentia fidem faciunt abscessum formatum esse; quo rupto, pus cum dejectionibus excernitur; dolendum est, ulcera sic formata rarius sanescere; portiones internarum intestinorum partium dejiciuntur, et febris hectica, comitantibus indiciis solitis, cito aegrum extinguit. Ubi omnia indicia paulatim remediis adhibitis cedunt; ubi dolor ex

toto decessit; et ubi secretiones singulae iterum naturalem vim receperunt, et ciborum appetitus rediit; statuere licet malum prosperè cessisse et tempus, igitur, periculi praeterisse. Haec hujus morbi prospera terminatio fere pro certo expectanda est, si remedia tempestivè usurpata fuerint, nec aegri conditio prior male sana.

## *DE INDICIORUM RATIONE.*

Proximum est, ut conemur signorum hujus morbi rationem reddere, ex quo adhuc magis patebit, quantum intersit, ut propere in hoc malo ad medicinae opem confugiamus; quoniam tantus existit consensus inter laborantem partem, et reliquum corpus. Dolores, qui circa umbilicum urgent, oriuntur ab arcto nexu intestinorum ibi sitorum, cum plexu nervorum mesenterico. Vomitus incidere potest, ex ventriculo plus minusve inflammatione implicito. Muci secretione in intestinis impe-

dita, alvus astricta inde facile sequitur. Quum partes inflammatae adeò tenerae sunt, levissima pressura molestiam excitat, hinc, quia diaphragma nequit libere descendere, dyspnoea vehemens urget. Singultus afferri potest inflammatione, sursum serpente. Virium vitae imminutio, quae inter Enteritidis notas est, explicari forte potest, ex consensu, qui inter ventriculum intestinaque et alias corporis partes intercedit; cerebrum enim ipsum cum iisdem consensum habet, quod patet, non modo ex hoc indicio, sed etiam ex delirio, quod, ut jam proposui, aliquando intestinorum inflammationem comitatur.

## *DE CAUSIS.*

Hujus morbi causae multiplices sunt. Ejusmodi tamen plurimae sunt, quae idoneâ curâ facile evitentur, quo demum modo morbum periculosum, quem crearent, fugiamus. Causae autem, quae Enteritidem excitant, tales sunt; acria, et ea, quae irritant, in ventriculum recepta; diuturnus et immodicus liquorum validorum usus; venena, sicut ea ex quibusdam fossilibus confecta; bilis acris; stercus durum; alvus diu et pertinaciter astricta; intussusceptio quoque hunc morbum creat, et haud raro quaevis canalis alimentarii constrictio. Nulla vero causa, frequentior est, quam frigus, extremis partibus inferioribus, et abdomini, vel variis aliis modis, admotum; veluti, potus gelidi, ubi corpus plus solito calet. Subitae quoque mutationes tempestatis aut mutationes in aëris conditione corpus huic malo saepe subjiciunt. Porro nimia distensio et ictus in vicinis abdominis partibus eundem inducere possunt.

Acria tamen in ventriculum sumpta, gastritidem saepius quam Enteritidem afferunt; sed quoties alterutra ab his causis oritur, inflammatio, si CULLENO credimus, Erythematici generis urget.

Postremo hic morbus oritur a vicinae alicujus partis inflammatione in intestina tendente, quod haud raro fit, et alios multos potest excipere morbos. Siquando alium sequitur morbum, multo periculosius malum est, quam si a quâvis ex causis jam memoratis affertùr; corpus enim, jam antecedente malo infirmatum, nequit morbum tam facile subire, quem tanta comitatur debilitas. Haec sunt quae de hujus morbi causis dicenda judicavi.

## *DE DIAGNOSI.*

Quoniam intestina partesque vicinae plurimis abnoxiae sunt morbis, factum est, ut Enteritis cum aliis ventris confusa sit malis; et primo quidem aspectu difficile illam a quibusdam eorum internoscere videatur; sin animum diligenter intendimus ad singula indicia, quae morbum, de quo agitur, perpetuo notare reperta sunt, vix fieri potest, ut in errorem incurramus. Morbi qui cum Enteritide confundi possunt, sive qui indicia communia ostendunt, sunt; colica; ventriculi, hepatis et renum inflammatio; dysenteria, et cholera.

Colica ab Enteritide differre animadvertitur in eo quod parum vel nihil pyrexiae ostendit, quod dolor non perpetuus est; sed paulatim a dolore parum percepto in acutissimum surgit, dein invicem quiescit; quodque, parte pressa, dolor sublevatur, necnon corpore flexo; quae corporis positio, colicâ urgente, semper

aegro grata est. Pulsus praeterea in colica tardiores, pleniores et molliores sunt; quum haec mala igitur tantum inter se distent, alterum pro altero vix sumi potest.

Ab Enteritide secernunt gastritidem, importunior vomitus et singultus, sitis non sedanda, delirium saepius accedens; et prae omnibus sedes doloris diversa. Saepe vero minime in promptu est hos duos dijudicare morbos; si vero interdum non datur pro certo scire, uter morbus urgeat, non magni interest; quippe medendi ratio in utroque prorsus eadem est.

Hepatitidem Enteritis admodum refert, quoties pars coli superior inflammationis sedes sit. Hepatitidem tamen distinguunt saevitia doloris in hypochondrio dextro, qui per dorsum usque ad summum humeri dextri tendit; atque decubitus in affectum latus facilior; quoties enim aeger in latus sanum decumbere vult, dolor ex magna jecinoris ligamentorum, quae quoque inflammantur, distensione, ob pondus hepatis magnum, plurimum intenditur.

Ab nephritide Enteritis dignosci potest, quia in illo malo, dolor ureterum cursum sequitur; cruris ejusdem lateris stupor est; et testis, qui respondet, dolet et retractus est; fere perpetuum quoque urinae reddendae desiderium urget in nephritide, et urina ipsa corrupta esse videtur.

Dysenteria eò differt, quod tenesmus fere semper in eo malo urget, et si quid dejicitur, cruciatus aegri nihil sublevantur. Dejectiones praeterea ex muco et sanguine constant.

Postremò discrimen est inter Enteritidem et choleram propterea quòd magna bilis copia vomendo ejicitur, quòd dejectiones sunt frequentes, quarum maximam bilis efficit partem. Manus quoque et pedes aliquando urgente cholerâ, spasmis afficiuntur.

## *DE PROGNOSI.*

Dum de eventu hujus morbi judicium instituimus, ad indiciorum vehementiam praecipuè attendendum est. In dubio res est, quoties aut gangraena aut ulceratio suspicanda est, quarum utraque lethalis plerumque et rarissimè quidem, cum horum malorum alterutrum ortum est, sanitas rediit. Quasdam autem alias res respectare oportet in prognosi instituendo; inflammatio magis periculosa est, ubi tenuiora quam si crassiora, occupavit intestina, et in illis, eò minus spei, quo propior ventriculo morbus insedit. Enteritis vitam in magnum fert discrimen, quoties aliis malis superveniat, aut foeminas gravidas aggrediatur. His igitur malum magis in ambiguo ponitur. Contra, si alvus fusa facta est, bonum; et inde sperandum morbum urgentem resolutione se terminaturum esse.

Antequam ad hujus mali curationem transimus haud fortasse alienum erit, quaedam ex

iis proponere, quae corporibus extinctorum eodem incisis in conspectum dantur.

## *DE CADAVERUM SECTIONE.*

Corpora Enteritide extincta incisa ostendunt intestina plus minus vehementer inflammata, eorum tunicas plerumque crassiores factas esse, et praecipuè tunicam peritonaealem vehementiae inflammationis subjectam esse.

Intestini partes aliquando, ulceratione inflammationem sequente, separatae fuerunt, et quum difficilimum est ulcerationes hujusmodi sanare, saepissimé, post mortem conspiciendea sunt. Ex ulceratione quoque, ut Dr Baillie docet, magnae tunicae internae intestinorum portiones submotae fuerunt.

Intussusceptio, quam pro causa inflammationem intestinorum excitante jam proposuimus, saepe ingens, inciso corpore, reperitur. Frequentius in intestinis tenuioribus quam in crassio-

ribus, existit. Gangraena quoque aliquando incidisse reperitur: Pars eo malo affecta, livido, nigroque colore est, et naturalem ejus tenacitatem amisit; cujus defectum Dr. BAILLIE pro vero gangraenae indicio habet; fieri enim potest, ut pars sit livida et nigra, nec tamen in gangraenam abierit.

## *DE ENTERITIDIS CURATIONE.*

NUNC ad hujus morbi curationem veniendum est; quae, sicut in cunctis phlegmasiis, maxime impigra esse debet. In nullo, quam in hoc, magis oportet sine mora curationem incipere, simul ac morbi natura manifesta fit: si inter prima enim initia morbus negligitur, et inflammatio, nihil impediente, progredi sinitur, vehementissima fiet, ita ut nulla ars gradum ejus sistere queat, et miser, summos inter cruciatus, primo fere impetu tollatur.

Quum primum, igitur, morbi natura detecta fuerit, ad sanguinis missionem confugien-

dum est; quo remedio in hoc non secus atque in caeteris phlegmasiis, maxime confidendum est.

Morbus, de quo agitur, est ex iis generis sanguiferi malis, in quibus necesse est, ut tantum sanguinis detrahatur, quantum corpus magnopere afficiat; quod nisi fit, nequicquam speramus ullos quantumvis validos, medicinae conatus a periculo, quod plane instat, liberaturos esse.

Venaesectione, igitur, utendum est, usque dum id absolvamus consilium, cui sanguinis missio inservitura est; nimirum, dum totum afficiatur corpus, et dolor vehemens, hujus morbi semper comes, imminuatur. Ubi sic quodammodo profectum est, conveniet sanguinis detractionem intermittere et aliis remediis uti, quae ad sanitatem penitus reducendam, idonea reperiuntur. In judicando, quando oporteat missione sanguinis decedere, necesse erit ad singulas res spectare, prout in quoque aegro existant; quales sunt aetas laborantis, et cor-

poris constitutio, vitae genus et hujusmodi caetera, quae quantitatem sanguinis mittendam dirigant. Quum pulsus in plerisque hujus morbi exemplis tam infirmi sint primo statim aspectu, videri potest, venaesectionem alienam esse; hic tamen fallacia est; tantum enim abest, ut pulsuum infirmitas, urgente Enteritide, sanguinis missione augeatur, quod in aliis plerisque morbis fieri solet, ut multo validiores inde evadant: quam ob causam minime deterrendum est, ne sanguis detrahatur, in iis exemplis, ubi infirmiores pulsus sunt. Quoties autem aut aegri infirmitas aut aliae quaevis res prohibent, ne sanguinis detractio generalis perficiatur; monemur sanguinem topice detrahere, quod plurimum prodest. Per hirudines aut cucurbitulas prope partem dolentem admotas, haud exigua sanguinis copia submoveri potest. Epispastica quoque maxime proficiant in hoc morbo; non vero nisi, post sanguinem, ut decet, detractum: tum quidem haud parum juvant: In quibusdam quoque exemplis purgantium et enematum

actionem promovent, quo consilio adhiberi merentur.

Fomenta calida laudantur, ideò quod dolorem mitigant. In fomentis autem admovendis, cavendum est, ne nimis ponderosa sint, quippe res aliquando admotae sunt, quae pondere suo, et premendo, nequeunt non detrimentum inferre ; hae ideò evitandae sunt. Hoffmannus pediluvia jubet per haud parvum spatium adhibenda; eo consilio ut partes inferiores relaxent, et humorum fluxum ab affectis partibus divertant: quum primum nausea et vomitus imminuta pene quieverunt, ad purgantium medicamentorum usum confugere licet. Sunt qui purgantia jubent inter ipsa mali initia, ubi inflammatio adhuc vehemens est: Haec curandi via parum idonea videtur, propterea quod hoc modo contra effectum, non contra morbi causam, pugnatur. Inflammatione, qui alvi, ut in hoc malo solet, astrictae causa est, demum submotâ per sanguinis missionem, purgantia magno cum profectu adhibentur ad tollendam alvi duritiem, quae ne-

glecta, indicia maxime incommoda, afferre possit.

Ad effectum purgantium promovendum enemata usurpanda sunt. Haec porro proficiunt ad dolorem tollendum et spasmum relaxandum, qui sanitatis reditum maxime impediunt. Frequentius adhuc adhibenda sunt quoties nausea et vomitus vehementes diutius perstant, in quò casu ex validioribus medicamentis constare debent, quoniam medicamenta vix adhuc devorari possunt. Tabaci infusum quibusdam eximium et praestantissimum enema in Enteritide videtur; ab aliis vero alienum habetur et jure, ut credo, quippe quod vomitum et nauseam excitaturum est: His indiciis vehementioribus malum omen praebentibus, minimè oportet ea quovis modo promovere; quâ de re hoc enema evitandum videtur; si vero caeteris remediis parum prospere cedentibus, ad hoc confugiatur, semper maxima cum cura et cautione adhibendum est.

Dubitari non potest, sicut opinor, quin

opium, inter hujus morbi initia, non secus atque caeterarum inflammationum, maxime noceat, quia sanguinis impetum validiorem efficit: ad finem tamen mali, ubi inflammatio remediis adhibitis prorsus victa est, fieri potest, ut maximum commodum ab ejus usu oriatur, quatenus dolorem, si ullus remanet, levet, et cutis halitum leviter eliciat.

Si aeger valde infirmus est, et corporis robur plurimum imminutum, conveniet remediis roborantibus vires ejus reficere.

His igitur remediis commodè et tempestivè adhibitis, nil dubito, quin hic morbus molestus plerumque in sanitatem desinat. In quibusdam saevioribus exemplis, quidem, nulla remedia proficient ; et in his morbus celerè ad male prosperum festinat eventum. Haec autem exempla rarius, ut spero, incidere videntur.

Urgente hoc morbo, aeger omnibus regiminis antiphlogistici partibus quam severè con-

tinendus est. Et ubi secunda rediit valetudo summoperè cavendum est, ne aeger cibum alienum sumat, aut frigori se objiciat; nam ex levissimis causis morbus recidivus fieri potest; quod, si forte evenit, multo difficilius erit, hominem iterum ad sanitatem reducere.

FINIS.